



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Quotuplex sit finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

ter causat, vt Deus, propter quem videndum ad bene operandum mouemur. Rursus finis formalis, seu consecutio finis intenti non causat delectationem seu fruitionem sui nisi quando existit, qua delectatio non est nisi de bono possessio: quod si sit de spe eius, tunc ipsa spes habet rationem imperfectæ consecutionis. In his ergo omnibus non procedit illud argumentum, quia existente fine obiectiuo vel fine cui (qui claritatis gratia posset subiectiuus appellari) (non cessat inquisitio, nec causalitas finis, nisi ad sit etiam consecutio finis, & hac obiecta, quauis cesset motus in fine per modum desiderij, non tamen per modum quietis & delectationis. Solum ergo de fine formali, seu consecutione finis verum est per se loquendo quod causat sui desiderium quando non est in re, & de illo recte responsum est, sufficere quod sit in apprehensione & iudicio intellectus, eo quod eius motio intentionalis sit, & (vt ita dicam) animalis, per sympathiam & consonantiam potentiariam animæ, intellectus scilicet & voluntatis.

Tertium argumentum postulat quid causet finis, & specialiter attingit difficultatem quomodo forma sit finis generationis naturalis, quod spectat ad difficultatem de naturalibus agentibus infra tractandâ; & ideo breuiter nunc dicitur, finem causare desiderium sui, seu alium similem affectum erga seipsum, & ita non causare immediate seipsum, sed aliquid distinctum à se. Et hinc etiam constat ad confirmationem, ex hac parte non repugnare relationem causæ in fine esse realem: est enim sufficiens distinctio inter ipsam, & talem effectum, & quando ipse finis non sit in re distinctus ab effectu eius, dicemus sect. 3.

An vero ex alio capite repugnet illam relationem esse realem, nimirum ex eo quod finis ipse non habet esse reale dum causat, res est dubia & controuersa. Soncinas 5. Metaph. qu. 3. & Iauellus, q. 6. aiunt, illud esse obiectiuum, quo finis habet in intellectu, sufficere vt realiter referatur ad effectum: sed id difficile creditur est, nam illud esse obiectiuum in ipso fine nihil reipsonit, sed solum denominationem extrinsecam ab actu qui realiter est in intellectu: ille autem actus non refertur realiter ad effectum causæ finalis, quia non concurret per se ad illum, vt infra dicam. Melius ergo respondent, qui negant ad omnem causalitatem realem sequi relationem realem in causa: non est enim necesse ex vi causalitatis, si aliz conditiones non concurrant, vt patet in causalitate Dei effectiua. Vnde addo, etiam si finis existat dum causat, non refertur realiter ad sui effectum, quia in suo modo causandi est superioris cuiusdam rationis, quia ipse nullo modo ordinatur ad effectum, sed effectus ad ipsum. Quare etiam ex parte effectus admittatur hic relatio realis, quod est probabile, maxime quando effectus non tantum per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam habitudinem ordinatur in finem, iuxta ea quæ inferius declarabimus: nihilominus illa relatio censenda est non mutua, effectus enim refertur potest ad finem, quatenus ab eo pendet: vnde sicut ad hanc dependentiam satis est, quod finis præexistat in mente, ita etiam sufficit ad realem habitudinem transcendentelem, licet prædicamentalis forte non sit nisi ad finem actu existentem: tamen quia finis causat vt omnino immotus, & non ordinatus ad suum effectum, ideo non oportet vt ex parte eius relatio sit realis. Sicut enim Aristoteles dixit scientiam refertur realiter ad scibile, non è contratio, ita nos dicere possumus de appetitione & appetibili: est enim eadem ratio: & similiter est eadem de appetibili, & de fine.

In quarto argumento multa tanguntur pertinentia ad Deum, & ad agentia naturalia: nunc illis quibuslibet, concedimus causalitatem conuenire fini vt habet rationem principij, & consequenter vt habet rationem mouentis. Eius autem motio dicitur metaphorica, non quia non sit realis: sed quia non sit per Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

influxum effectiuum, nec per motionem intentionalem & animalem: & ideo nihil obstat, quo minus vera ac propria sit eius causalitas.

Ad quintum quidquid sit de agentibus naturalibus, de quibus postea, respondetur, modum operandi intellectualem creaturarum non posse intelligi fine causalitate finis, quia re vera alliciuntur & mouentur à fine ad operandum: & quamuis ipsa habeant naturalem propensionem ab obiecta seu fines, ad quos per proprios vitales actus mouentur, tamen illa naturalis propensio non potest operari in suo genere, id est effectiue, nisi sufficienter applicato fine, & in suo genere concausante: & ita determinatio operationis, seu destinatio in certum scopum, quæ cernitur in agentibus, intellectualibus manifeste procedit non ex sola inclinatione naturali, sed ex causalitate finis. Ad sextum, quantum hic locus patitur, satis explicatum est, quid, vel circa quid finis causet: integram vero huius rei tractationem trademus inferius.

SECTIO II.

Quotuplex sit finis.



Ntequam progrediamur vterius ad explicanda cætera quæ proposuimus ad causalitatem finis pertinentia, oportet varias diuisiones, vel potius nominis significationes explicare, vt distincte intelligatur, de quo sit disputatio.

Prima diuisio finis, Cuius, & Cui.

Est ergo prima ac celebris diuisio finis in finem Cuius, & finem Cui, quæ sumpta est ex Aristotele 2. de anima cap. 4. vbi Argyropilus vertit finem quo & cui: sed priora verba sunt Græcis conformiora, & intentionem melius declarant, nam finis Cuius dicitur, cuius ad ipsius gratia homo mouetur vel operatur, vt est sanitas in curatione: finis Cui dicitur ille, cui alter finis procuratur, vt est homo in intentione sanitatis, nam licet homo curetur propter sanitatem, ipsam vero sanitatem sibi & in suum commodum querit.

Quæri vero potest, quis horum habeat propriam rationem finis. Quidam enim soli fini Cui illa attribuant, quod sentit Gab. in 2. d. 1. q. 5. sequens Otham in 2. q. 3. art. 1. atque idem sentit Henricus quodlib. 2. q. 4. Et probatur: nam ille est proprie finis, in quo consistit intentio agentis, cætera enim potius habere videntur rationem mediourum: sed intentio solum sistit in fine cui cætera procurantur, nam ad illum omnia ordinantur: vnde sicut medium solum amatur, quatenus proportionatum est fini: ita finis Cuius solum amatur, quatenus est proportionatus, & conueniens fini Cui: ergo. Et confirmatur, nam finis amari debet amore amicitiae, vel saltem beneuolentiae, quia debet amari propter se: sed solus finis Cui ita amatur, nam finis Cuius amatur alteri, qui dicitur finis Cui: atque ita amor finis Cuius est concupiscentiae, alter vero est amicitiae seu beneuolentiae: & ideo finis Cui amatur simpliciter, finis autem Cuius tantum secundum quid, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 26. art. 4. dicentis, Illud amari simpliciter, cui amatur bonum: hoc autem bonum quod alteri, amatur tantum amari secundum quid.

Aliunde vero apparet, solum finem Cuius proprie habere rationem causæ finalis, nam Aristoteles, vbicunque hanc causam definit, per hoc eius rationem explicat, quod sit cuius gratia aliquid fit, vt patet 2. Physic. cap. 3. & 7. & 5. Metaph. cap. 2. & hac ratione dicit, finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: & similiter ait, formam esse finem generationis, non vero ipsum generantem. Et ratio-

nt declaratur, quia is cui alter finis acquiritur vel quæritur; solum est subiectum, quod perficitur vel actuatur alia re, quæ in enditur vt finis. vt homo est subiectum sanitatis, aut visionis beatæ, quæ est finis nostrarum operationum: hæc ergo habitudo non est proprie finis, sed alterius rationis: nemo enim proprie dixerit hominem esse finem visionis beatæ, sed potius visionem esse finem hominis: nā res est proprie suam operationem, vt propter finem. Et confirmatur, nam in fine Cuius comprehenditur, vt infra dicam, obiectum operationis, vt est Deus respectu visionis beatæ: vnde nō solum amat sibi homo concupiscentiæ pertinet ad spem, vt Theologi docent: non potest autem dici quod homo sit finis Dei, eo quod sit ille cui amatur Deus: ergo per illam articulam, *am*, non explicatur propria ratio finis.

V.
Distinguitur

Nihilominus dicendum est in vtroque horū saluari posse propriam rationem finis, interdū vero ita coniungi vt ex vtroque coalescat vnus integer finis. Hoc est consensum Aristoteli in citato loco de Anima. Et ratione probatur, nam vterque horum finium potest per se excitare voluntatem, & ab eā dīgiliter intendi propter suam bonitatem: sic enim quando homo inquitur sanitatem, se diligit, cui sanitatem vult propter suum commodum & perfectionem, quam per se appetit, propter summam coniunctionem, vel potius deitatem quam secum habet. Similiter diligit & intendit sanitatem, propter perfectionem ipsiusmet sanitatis. In quo magna est differentia inter medium, & finem Cuius, nam medium v.g. potio, solum est amabilis quatenus est utilis ad salutem: salus vero ipsa propter se amatur, quia per se perficit hominem cui amatur. Vnde sit, vt totum hoc, *homo sanus*, sit integer, & adæquatus finis illius actionis; in quo prædicti duo fines includuntur, quasi componentes vnum integrum finem. Sic etiam potentia dicitur esse propter operationem, vt propter finem cuius gratia sit, quamuis etiam operatio vere sit propter ipsam potentiam, nimirum vt ipsum perficiat, & in ultimo actu constituat. Vt merito dici possit finem integrum esse potentiam vt perfecte actuatā, quod alij dicunt, potentiam non tam esse propter operationem, quam propter se ipsam operantem. Atque hoc modo non repugnat duas res sub his diuersis rationibus ad inuicem esse vnum finem alterius, & e conuerso: sic enim intellectus est propter visionem Dei, & visio etiam est propter intellectum vt ipsum perficiat. Neque hæc est inconueniens, cum propter rationes diuersas, tū quia intentio agentis quasi adæquate fertur in compositum ex vtroque cum mutua habitudine compositionis inter se: quo modo materia est propter formam, & forma est etiam aliquo modo propter materiam: totum autem est, quod per se primo & adæquate intenditur. Quamuis autem finis Cui & Cuius possint ita ad inuicem comparari, non est tamen id semper necessarium, vt statim declarabo.

VI.
Quæritur
ita consequens
ad resolutionem
rem præcedentem.

Quæret vero ulterius aliquis esto vterque eorum sit proprie finis, quis eorum sit principalior. Respondet, comparisonem fieri posse, vel in ratione entis, vel in ratione causandi. Priori modo non est per se necessarium vt vnus ex his finibus sit semper perfectius ens, interdū enim finis Cui est res nobilior, vt cū homo propter sanitatem sibi acquirendam operatur, interdū vero accidit e conuerso, vt cum idē homo operatur propter acquirendum sibi Deū, qui longe nobilior est. Et ratio est, quia interdum res seu suppositum perfectius intendit sibi acquirere aliam perfectionem, quamuis minorem, ad quod satis est quod tale subiectum perfectiori modo se habeat cum tali forma, quam sine illa. quamuis si præcisè comparetur ad eandem formam, sit quid perfectius. Aliquando vero res aliqua perficitur per coniunctionem ad perfectiorem, vt homo per coniunctionem ad Deū,

& tūc optime potest res minus perfecta operari gratia alterius perfectioris, vt illam habeat & possideat prout poterit: quo etiam modo materia appetit formam, & si possit gratia consequendi illam aliquid operari, id faceret: sub qua consideratione forma habet rationem finis Cuius, & materia finis Cui, quæ minus perfecta est, quam forma.

At vero si illa duo conferantur posteriori modo, scilicet in ratione causæ & finis, idē videtur esse querere, quis eorum sit principalior, quod quæritur quis magis ametur, magisque intendatur. Et sane rationes prius factæ videntur suadere finem Cui magis amari, quia magis ratione sui diligitur, magisque in illo sistit motus voluntatis. Solum videtur ob stare exemplum illud de amore concupiscentiæ, & intentione consequendi Deum, quatenus bonum nostrum est. Neque enim dicere possumus, eo actu amare nos magis nos ipsos quam Deum: alias amor ille esset inordinatus: neque etiam dicere possumus illā intentionem principaliter sistere in nobis, quam in Deo: alias absolute finis vltimus illius intentionis essemus nos, & non Deus, & ita esset etiam inordinata intentio.

Quapropter distinctione vel limitatione opus est, nam in bonis particularibus, quæ præcipue, vel etiam omnino amantur in commodum amantis, vel vt illū perficiant, vel sub aliqua alia habitudine ad illum, verum est finem Cui principaliter amari, esseque principaliter finem. Et hoc probat rationes prius factæ. Quæ confirmari possunt, nam sæpe huiusmodi particulare bonū quod est finis Cuius, supponit absolutum amorem illius personæ cui amatur, & amor eius ex illo amore nascitur: sic enim homo interdum amat se ipsum proprio amore beneuolentiæ, & ex illo postea amat sibi sanitatem. Et hinc etiam sæpe fit, vt talia bona particularia amētur vt media, & vtilia ad alios fines ipsi amanti conuenientes: signū ergo est, respectu horum finium ipsum finem Cui esse principaliter magisque dilectum. At vero quando finis cuius gratia est summum bonū, & finis vltimus, si ordinate ametur & intendatur: semper debet retinere principaliter rationem finis, magisque trahere ad se intentionem operantis. Quia cum sit finis vltimus simpliciter, non potest ita referri in alium sub aliqua ratione finis, vt in alio principaliter sistatur. Atque ita, cum homo intendit consequi Deum, licet ipse sit aliquo modo finis cui bonū illud quæritur, tamen absolute potius homo ordinat se ipsum in illum finem, nam vult coniungi illo bono vt vltimo fini suo. Quo fit, vt licet in eo motu & tendētia, respectu mediorum, & operationis, homo proprie dicatur finis Cui, tamē respectu ipsius Dei, qui principaliter quæritur, non tam dicendus sit finis, quam subiectū quod ordinatur ad consequendum illum finem. Quamuis non negem posse etiam vocari finem Cui, nam re vera habet illam rationem, ita tamē, vt intelligatur potius ordinari ad alterum finem obiectum & vltimum, quam illum ad se ordinare.

Secunda diuisio finis in operationem & rem factam.

Secundo diuidi solet finis in eum, qui est operatio tantum, & eum qui ex operatione resultat, sed in quem tendit actio, vt in rem factam. Quam diuisionem te igit Arist. 1. Ethic. c. 1. & lib. 1. Magnor. Moral. c. 3. Et quantum attinet ad rationem formalem finis, videtur materialis diuisio sumpta ex rebus, quæ hac causalitate exercent, potius quam ex variatione causandi. Nihilominus tamen ad intelligēdos auctores, præcipue varia loca Arist. & ad explicandas alias diuisiones, & præsertim ad declarandos fines diuersarū rerum, & maxime hominis, est necessaria. Exempla itaque vtriusque membri facilia sunt, tam in operibus artis, quam naturæ. Nam finis curationis est sanitas & diuisio.

edificationis domus, generationis res genita, & sic de aliis: at vero pulsationis cytharæ non est alius finis præterquam ipsa cytharizatio, & contemplationis folia ipsa contemplatio. Quamquam in secundo membro aduertere oportet, etiam in illis actionibus posse philosophice distingui terminum ab actione, nam terminus semper est aliqua qualitas: actio vero est via seu tendentia illius qualitatis: tamen quia terminus huius actionis talis est, ut non duret nisi quamdiu sit, eo quod in fieri & conseruari pendet ab actuali motu seu influxu potentie, ideo quod attinet ad rationem finis, non distinguitur inter actionem ut actionem, & ut terminum in actionibus vero prioris generis finis intentus est res facta, quæ permanet cessante actione. Ex quo etiam intelligitur, hanc diuisionem tantum esse datam de fine Cuius: nam finis Cui, neque est actio, neque fit per actionem, sed supponitur potius ad actionem, cum sit ipsummet agens.

Tertia diuio finis, scilicet, actionis, vel rei factæ.

Atque hinc orta est tertia diuio finis in finem actionis, & in finem rei factæ seu genitæ. Quæ sumitur ex Aristotele partim 2. Physic. capite 7. partim 2. de celo, capite 3. Nam in priori loco dicit formam esse finem generationis, in posteriori autem dicit vnamquamque rem atque adeo ipsam formam seu rem genitæ esse propter suam operationem. Atque ita fit (ut sumitur etiam ex Auerroe 4. de celo text. 22.) ut res genita sit finis generationis, & operatio etiam propter quam res generatur, sit etiam finis, proxime quidem & immediate ipsius rei genitæ, remote autem & mediate ipsius generationis. In qua diuisione duo tantum occurrunt aduertenda: vnum est, cum Aristoteles dicit, formam esse finem generationis, sub forma comprehendere totum compositum, seu rem ipsam genitam, nam propter illam maximè est generatio: tamen quia res genita non fit nisi inducendo formam in materiam, ideo per formam explicuit generationis finem. Et quod de generatione dixit Aristoteles, intelligendum est de omni actione tam naturali, quam artificiali, per quam aliqua res fit, ita ut permaneat: & extrinseci etiam potest ad creationem, nam etiam res, quæ creatur, est proximus finis illius actionis.

Alterum obseruandum est, finem rei genitæ continenter conseruari esse aliquam operationem propter quam res fit, ut est visio Dei respectu hominis, vel illuminatio respectu Solis: tamen ut omnem finem rei genitæ comprehendamus, per operationem necesse est intelligere omnem usum ad quæ res genita ordinatur, nam finis materiæ quæ est res quedam genita seu creata, non est propria aliqua operatio, est tamen causalitas eius scilicet sustentatio formæ, aut talis compositio substantiæ: similiter finis domus est habitatio, quæ non est operatio, sed protectio quædam & quasi extrinseca informatio habitantiū, & sic de aliis. Et iuxta hunc modum contingit, non solum respectu rei genitæ dari finem, qui sit operatio, propter quem fit ipsa res genita, sed etiam respectu vni⁹ operationis dari aliam, quæ sit finis eius: sic enim cytharizatio est propter delectationem, & locutiopropter intellectionem. Potest enim vna operatio ad aliam concurrere vel obiectiue, vel effectiue, vel saltem ut necessaria vel utilis conditio ad aliā operationem: & ideo potest ad illam ut ad finem ordinari.

Quarta diuio in finem obiectiuum & formalem.

Quarto ex his diuisionibus, præsertim ex secunda oritur alia, qua diuiditur finis in obiectiuum & formalem. Nam, ut diximus, interdum finis est operatio: hæc autem operatio, præsertim si sit imma-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

nens, præter actum ipsum requirit obiectum circa quod versatur, ut contemplatio quæ est finis hominis, versatur circa aliquam rem aut veritatem contemplatione dignam, propter quam aliquo modo est ipsa contemplatio, quia per illam quati comparatur, & possidetur secundum modum sibi proportionatum. Et in hoc sensu distinguunt Theologi in fine hominis, visionis, & Deum visum, & visionem dicunt esse finem formalem, quem etiam appellat finem Quo, & adaptionem finis: Deum autem appellant finem obiectiuum, seu finem Qui, quia comparatur per finem formalem. Ita sumitur ex D. Thoma 1. 2. q. 1. ar. 8. & q. 3. art. 7. & quæst. 11. art. 3. ad tertium. Vbi aduertit, hos non tam esse duos fines, quam vnum, quia neque obiectum attingi potest nisi per actum, neque actus fieri potest nisi circa obiectum: & ideo motio ac intentio agentis est ad vtrumque per modum vnius, & ita vnā causam finalem complent. Quamquam eo modo quo sunt res diuersæ, possunt inter se comparari: & vna ad alteram ordinari. Atque hoc modo potest ad hanc diuisionem applicari fere tota doctrina, quæ circa primam tradita est.

Quinta diuio finis in eum, qui fit, & eum qui obtinetur.

ET hinc vltius fit (quæ potest esse quinta diuio) quod finis Cuius, aliquando supponitur operationi agentis, & intenditur non ut efficiendus, sed ut obtinendus, quod verum habet de fine obiectiuo: & hoc modo est Deus finis nostrarum actionum, & extenditur hoc ad omnes res, quæ supponuntur ut obiectiua, vel materia circa quæ, ut diuiciæ sunt finis auari, non producendus, sed acquirendus etiam si iam existat. Aliquando vero finis non supponitur, sed fit per actionem agentis, siue fieri dicatur proprie pro re facta, siue late, ut etiam dici potest de actione. Atque hoc modo visio Dei est finis hominis, & in vniuersū omnis operatio, vel terminus per ipsam factus, est finis non præexistens, sed subsequens ad intentionem agentis. Atque hanc diuisionem in terminis docuit D. Thom. 3. cont. Gent. capite 18. sumiturque ex doctrina Aristotelis partim 2. Physic. & quinto Metaph. vbi potissimum facit mentionem eius, finis qui fit per actionem agentis: partim 2. de Cælo text. sexagesimo quarto, & 12. Metaph. text. trigésimo sexto, vbi dicit Deum esse finem, gratia cuius cætera agunt: constat autem Deum non esse finem, qui per actionem agentis fiat, sed qui ad actiones omnium agentium supponatur.

Sexta diuio in finem vltimum & non vltimum.

Sexto diuiditur finis in proximum, & remotum, & ac vltimum. Hæc diuio frequens est apud auctores, & fundamentum habet in Aristotele citatis locis, & in 2. Metaph. capite 2. vbi ostendit non dari processum in infinitum in finibus. Videri tamen potest alieui, repugnantiā inuoluere diuisionem illam cum diuio, nam de ratione finis est ut sit vltimus, ut nomen ipsum præ sefert. Et quia de ratione finis est ut propter se ametur, & alia propter ipsum, & consequenter ut ipse non ametur propter alia: iam enim non esset finis, sed medium: non ergo recte diuiditur finis in proximum, & remotum vel vltimum. Ut ergo intelligatur diuio, duæ rationes in finali causa distingui possunt: prior est quæ finis dicitur propter se amari: posterior, quatenus alia amantur propter ipsum: & ipse est ratio amandi illa. Sub priori ergo ratione omnis finis, si præcise quatenus finis est consideretur habet rationem vltimi, ut ratio facta ostendit, nam in illo quod dicitur propter se amari, includit

Y y 3

ditur

dicitur negatio amoris propter aliud: in qua negatione consummatur ratio ultimi. Contingit tamen ut quamvis aliquod obiectum propter se & propter bonitatem suam ametur, nihilominus vel natura sua, vel ex intentione operantis, referatur & tendat in ulteriorem finem, ut cum quis facit eleemosynam, & quia honesta sit actio in ratione misericordiae, & quia est accommodata ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Tunc ergo vnus finis ordinatur ad alium, quanquam sub ea ratione qua ordinatur, non habeat rationem finis sed medii. Ille igitur finis, qui immediate propter se amatur, dicitur finis proximus: alius vero finis ad quem alter ordinatur, dicitur remotus: quod si in illo sistat intentio operantis, erit etiam ultimus: si vero in ulteriorem finem ille ordinetur, erit tantum remotus, non tamen ultimus: quia vero non potest in infinitum procedi, sistendum erit in aliquo qui sit ultimus.

XV.

Atque ita facile constat necessitas prædictæ diuisionis, nam quia intentio agentis necessario debet in aliquo fine immediate versari, quia alias nunquam inchoaretur, ideo necesse est esse aliquem finem proximum, est enim ille quem proximè & immediate agens intendit tali actu seu intentione. Non est autem simpliciter necessarium, ut præter finem proximum detur remotus, quia potest intentio agentis sistere in vno fine: tamen quia potest etiam in ulteriorem finem tendere, ideo præter proximum dari potest finis remotus. Et similiter quamvis aliquis finis ultimus semper sit necessarius, eo quod non proceditur in infinitum, non est tamen necessarium ut finis ultimus semper sit distinctus à proximo: nam si voluntas in vno tantum fine sistat, quod facere potest, erit simul proximus & ultimus, saltem negatiue, id est, post quem non est alius: quando vero plures sunt fines subordinati, tunc necesse est hos fines esse distinctos. Atque hinc fit, ut quamvis contingat plura media inter se subordinari, ut primum sit propter secundum, & secundum propter tertium, & sic usque ad finem, qui propter se amatur: si tamen nullum ex illis mediis amatur propter se, sed pure ut medium propter aliud, nullum eorum habeat rationem finis proximi, aut remoti sub prædicta ratione: sed ille finis ad quem ordinatur tota medijs series, licet videatur remotus in ratione obiecti voliti & materialis, tamen in ratione finis est proximus, seu primus in quem ut in finem tendit voluntas, & erit etiam ultimus, si non in alium finem ordinetur.

XVI.

Si vero finem consideremus sub alia habitudine, scilicet, quatenus propter ipsum aliquid eligitur aut fit, sic facilius est distinguere illas tres rationes finium non solum in rebus, quæ propter se appetuntur, sed etiam in rebus, quæ sunt pure media, quæ propter aliud eliguntur. Nam quando ad vnum finem plura media inter se subordinata eliguntur, necesse est dari primum & ultimum medium, tam ordine intentionis, quam ordine executionis: in neutro enim ordine potest in infinitum procedi: alias vel electio, vel executio nunquam inchoaretur. Dicitur autem primum medium ordine intentionis, id quod est immediatum fini, quodque primo eligitur, post intentionem finis: & illud ipsum est ultimum in executione. E contrario vero illud medium quod est in ordine eligendi postremum, est in executione primum, nam ubi finitur electio, inde incipit executio, ut paulatim per media usque ad consecutionem finis perueniatur. Hoc ergo medium, quod est in executione primum, & in electione ultimum, nullam habet rationem finis, quia nec propter se amatur, cum tantum sit medijs, nec etiam aliud amatur propter ipsum, cum in illo finita sit electio, tamen secundum medium habet iam rationem finis proximi, respectu medij prioris quod propter ipsum electum est. Tertium autem medium habet rationem finis remoti, respectu primi medij: & sic potest per plures fines

magis vel minus remotos procedi, donec sistatur in ultimo, quod semper necessarium est, cum non possit in infinitum procedi. Atque ita satis constat illa diuisio quantum ad expositionem terminorum pertinere: nonnulla vero quæstiones, quæ ex illa oriuntur, in discursu disputationis tractabuntur commodius præsertim duæ scilicet, an media participant aliquo modo causalitatem finis, & an necesse sit constitui, e aliquem finem ultimum, ubi etiam varias acceptiones finis ultimi declarabimus, & an habeat propriam & per se causalitatem, quatenus finis ultimus est, seu remotus.

S E C T I O III.

Quos effectus habeat causa finalis.



Riusquæ de ratione causandi finis dicamus, agendum videtur de effectibus eius, ut ab his quæ nobis notiora sunt procedamus. Et quoniam, ut supra dixi, nunc consideramus finalem causam respectu voluntatis create, per quam agentia intellectualia operantur propter finem, duplices effectus huius causæ considerare possumus: quidam sunt intra ipsam voluntatem, & sunt actus vel affectus ab illa elicit: alii sunt extra voluntatem, & sunt effectus, qui extra ipsam prodeunt ex efficacia, vel imperio, seu motione ipsius per proprios actus eius.

Est igitur in primis certum, causam finalem, prout nunc illam consideramus, per se primo, ac maximè causare al. quem actum vel affectum in voluntate ipsa. Hoc est receptum omnium consensu, satisque ostendi potest rationibus, quibus in sectione primo ostendimus dari causam finalem: nos enim per effectus in causarum cognitionem peruenimus: per nullos autem effectus ita cognoscimus causalitatem finis, sicut per eos quos habet circa humanam voluntatem, quæ sui metaphoricæ motione allicit, ut & ipsum amet, & per convenientiam media quærat, donec illam consequatur, & in eo quiescat.

Prima difficultas, de causalitate finis circa interioris actus voluntatis.

Difficultas vero est, an omnes actus, qui in hoc progressu interueniunt, sint à fine, ut à propria causa in suo genere, an vero non omnes, sed aliqui eorum, & quoniam illi sint. Ut autem percipiatur ratio difficultatis, distinguere oportet plures actus, qui in hoc negotio interueniunt. Quidam tendunt directe in finem, vel secundum se absolute, ut simplex voluntas eius seu amor, vel ut consequendum per media, sicut intentio: & hi actus antecedunt non solum consecutionem finis, sed etiam electionem mediorum. Alii sunt actus, qui proximè versantur circa media, quamvis ratione finis: & huiusmodi proprie est electio, quam antecedit consultatio & inquisitio mediorum, quæ quatenus ad inquirendum finem necessaria est vel utilis, ad media reducitur, & quatenus voluntaria est, sub electionem quo dammodo cadit, vel ad illam reuocatur. Et hæc duo genera actuum, dicuntur pertinere ad ordinem intentionis, quia non solum finis consecutionem, sed etiam executionem mediorum antecedit. Post ordinem vero intentionis sequitur ordo executionis, in quo similiter possunt duo alia genera actuum distinguere: quidam enim versantur circa mediorum executionem, per vnum eorum, quem actum vocant. Alii versantur circa finem, ut in consecutionem & possessionem, scilicet fructus, vel gaudium, quod etiam quies animi dicitur, & in eo statu potest etiam durare amor.

Et